



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

4. Cessio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

cum à nobis fuerit subscripta, & à venerabili viro illo amanuense edita, tibi tradatur ex more, ut facilius quod superius insertum est diuturno tempore maneat inconvulsa.

Cessio.

IV. Latores legum sanxerunt ut quicquid unusquisque alteri cesserit, profiteatur se tantum rem cessisse, vel concedi, & sola voluntas illius aut scriptura aut testibus comprobata pro omni firmitate sufficiat. Igitur ego in Dei nomine ille fidei nostro illo cedo tibi à die presente cessumque in perpetuum esse volo, hoc est, villa juris nostri nuncupante illa sita in pago illo, in condita illa, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omnibus appendiciis suisque adjacentiis, cum omni supraposito, vel quicquid in jam dicto loco à die presente tenere & possidere videor; ita ut quicquid exinde facere volueris, jure proprietario liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem: quia malo hoc te habere quam me, plus te quam ceteris heredibus meis. Et si fuerit, aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet persona, qui contra hanc cessionem aliquid refragare vel calumniam generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit, unà cum socio fisco, inferat solidos tantos, & hæc cessio meis vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione subnixâ, diuturno tempore maneat inconvulsa. Actum.

Venditio.

V. Magnifico fratri illo, ego ille. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi, rem proprietatis meæ, sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum gerris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, totum & ad integrum cum omnibus appendiciis vel adjacentiis suis vel omni supraposito, sicut à me presenti tempore videtur esse possessum, de jure meo in tua trado potestate vel dominatione, unde accepi à te pretium in quod mihi bene placuit, illis presentibus qui subter tenentur inserti, valentem solidos tantos, ita ut ab hodierna die quicquid exinde facere volueris, liberam habeas potestatem. Et si fuerit, aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet persona, qui

contra hanc venditionem aliquam calumniam vel repetitionem generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos tantos componat, & hæc venditio firma permaneat.

Obligatio.

VI. Domino venerabili illo, ego in Dei nomine ille. Dum & omnibus habetur percognitum qualiter vestro accepto pretio rem proprietatis meæ sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni integritate, vel quicquid à me presenti tempore inibi fuit possessum, vobis per venditionis titulum distraxi. Sed postea mea fuit petitio, & vestra decrevit voluntas, ut mihi ipsam rem usufructuario ordine conservare juberetis, quod ita & fecistis. Et ego pro hujus merito beneficij, obligo vobis rem proprietatis meæ, sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni integritate sua, vel quicquid ibidem presenti tempore à me videtur esse possessum. Ea verò ratione ut quandiu in caput advixero, utriusque partibus sub vestro prætextu tenere & usurpare debeam, & mihi exinde non liceat aliubi nec vendere nec donare nec in nullo modo distrahere, nec ipsos usus in alterius manus transferre. Sed post meum quoque discessum, absque ullius expectata traditione vel judicium configuratione, absque diminutione rerum vel mancipiarum, cum omni supraposito, vel quicquid in ipsa loca aspicere vel pertinere videtur, vos heredisque vestri, vel cui à vobis permissum fuerit, in eorum faciant revocare potestatem vel dominationem. Et si fuerit aut ego ipse aut ullus ex heredibus meis, vel quislibet persona qui contra has obligationes aliquam calumniam vel repetitionem aut contemptum generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos ducentos componat, & hæc obligationes uno tenore conscriptæ firmæ permanent.

Præcativa.

VII. Domino venerabili illo rectori Ecclesie illius vel omni congregationi ibidem consistenti. Ego enim ille. Ad meam petitionem vestra decrevit voluntas ut mihi villam vestram, sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni merito ad se pertinente vel aspiciente, usufructuario ordine mihi conservare juberetis, quod ita & fecistis. Ea verò